

animalia prius non visa aut mirabiles plantæ ex hostibus capti errant, duces vincti catenis. Similiter in triumpho ascensionis Christi, ducta imprimis spolia devictorum hostium, scilicet e limbo patres, dæmoni et inferno abstracti. Id enim asserit apostolus ad Eph. IV. *Ascendens Christus in altum captivam duxit captivitatem*, hoc est, patres qui in limbo prius captivi erant, liberavit, seu potius iterum captivavit melioribus astringendo vinculis, amoris scilicet et gloriæ. Nec solum patres illos, sed etiam innumerorum præterea fidelium adhuc in terris degentium, uti imprimis Matris et apostolorum corda, captiva, id est, charitate sibi devincta, secum in cælum duxit, ad hæc imagines etiam vincendarum nationum et ad fidem convertendarum. Quibus mixta erant peregrina aliqua spolia, prius in cælo nunquam visa, caro scilicet humana in Christo (et forte etiam in quibusdam patribus, qui resurrexerunt) quæ teste Greg. hom. IX. *Quasi ad peregrina ducta est, dum in cælo fuit collocata*: mirabilis planta, cui olim a Deo dictum erat: *Terra est et in terram ibis*, ea nunc in cælum ivit. Ob id introducit David, Psal. s. angelos quasi tardantes aperire Christo et iterato quærentes: *Quis est iste rex gloriæ?* Deinde, magis adhuc peregrinum animal ibi fuit, latro de cruce saliens in cælum. Et forte non deerant captivi duces catenis vincti, dæmones videlicet in aere traducti et ostentui habiti. Quo enim alio loco id factum dicemus, quod apostolus ad Coloss. II. ait: *Expoliatis principatus et potestates traduxit confidenter, triumphans illos in semetipso*. Ubi pro verbo *traduxit*, Græce habetur *ostentavit* seu in exemplum posuit: quasi eos in triumpho duxerit humiliatos vinctisque post terga manibus: id quod in aere fieri potuit, quamdiu ascensus Christi duravit.

VI. Curri præferantur coronæ aureæ, si quæ triumphatori a provinciis per legationes fuerant oblata: in triumpho Christi coronæ illæ sunt, præmia quæ respondent Christi amori in incarnatione, humilitati in natiuitate, patientiæ in circumcissione, zelo in evangelizatione, obedientiæ in passione, etc. Unde admirantur angeli, Cant. II. *Egredimini, filiæ Sion, et videte Salomonem in diademate quo coronavit eum mater sua*.

VII. Sequebatur imperator in curru triumphali, purpura fulgenti auro intexta, armillas in manibus gestans, corona laurea redimitus et ramum lauri in manu ferens. Non absimili modo Christus in ecclesiastica illa ascensionis cæremonia representatur; veste videlicet rubra aut purpurea, ut sentit Frid. Nausea, in cateches. cap. XXXVI. quia eam depurpuravit pro-

prio sanguine. Unde aiunt angeli de Christo ascendente, Isa. LXIII. *Quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra? Iste formosus in stola sua, etc.* et rursus: *Quare ergo rubrum est indumentum tuum, et vestimenta tua sicut calcantium in torculari?* Respondetque: *Torcular calcavi solus*. Gerit etiam armillas, id est, cicatrices vulnerum in manibus et pedibus: quod item mirantur angeli, Zach. XIII. *Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum?* Gerit in capite coronam, id est, omnes prædestinatos in signum victoriæ. Unde Cant. III. angeli rursus mirantur: *Egredimini, filiæ Sion, et videte regem Salomonem in diademate quo coronavit eum mater sua*. Diadema et corona Christi sunt omnes electi, hoc enim sensu etiam apostolus Philippenses vocabit *gaudium et coronam suam*, cap. V. In ea tot rosæ et flores, quot prædestinati. O mirabilem coronam! Crucem denique in manu gerit, quia elevatis manibus benedixit suis per signum crucis, opinor; quo modo etiam Jacob cancellatis in crucis formam manibus benedixit moriturus Ephraim et Manasse, Gen. XLVIII. ut sentit Gretserus, l. de cruce.

VIII. Spectatores, qui ex urbe et fere tota Italia advenerant, omnes applaudebant et fere in vestitu albo pompam spectabant. Ita in triumpho Christi angeli de cælo in terras descendere et in vestibus albis discipulis apparere, Act. I. nec dubium, quin omnes omnino confluxerint in eum cæli locum, ubi Christus ascendit. Id quod representatur in illa ascensionis cæremonia, qua angeli cum Christo circumvolitantes eveniunt: juxta id Jo. I. *Videbitis cælum apertum et angelos Dei ascendentes et descendentes supra Filium hominis*. Et notandum quod S. Laurentius Justinianus patriarcha scribit in festo ascensionis Domini: « Ascendente Christo, egrediebantur interdum angeli et delectabiliter intuebantur humanitatis illius elegantiam, præclaram formam, radiantem faciem, imperiale decus et honorabilem statum. »

IX. Interim omnes ædes sacræ fuerunt apertæ, et coronis ac suffitibus repletæ. Ita in ascensione, porta jubilæi aperta in toto orbe, et aditus ad cælum ubique patefactus. Tunc enim Christus dixit: *Euntes in mundum universum, prædicate evangelium omni creaturæ*. Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit: quamquam adornandæ etiam sunt ecclesiæ coronis et suffitibus honorum operum. Alioquin: *Fortasse unusquisque apud semetipsum dicat*, ait S. Gregorius in hom. hod. fest. hom. XXIX. in evangelium: *Ego jam credidi, salvus ero*. Verum dicit si fidem operibus tenet. *Vera etiam fides est, quæ in hoc quod verbis dicit, moribus non contradicit*. Hæc ille.

X. In cæpitium vehebatur, Romanorum curiam splendidissimam, ubi præcepit hostes in triumphum ductos, vel jugulari vel perpetuo carceri mancipari. Et eo die penes ipsum imperium erat.

Ita Christus: *Ascendit super cælum cæli ad orientem*, ait Psal. LXVII. id est, ad fontem omnis luminis. Tunc alios in abyssum detrusit, alios super terram, sed vinctos dimisit. Ex illo etiam tempore Pater omne imperium dedit Filio, non ad unum, sed usque ad novissimum diem. Unde ad Eph. I. dicitur: *Constituens illum ad dextram suam in cælestibus super omnem principatum et potestatem, virtutem et dominationem, etc.*

Tunc imperium capescebat nunquam terminandum et inchoabat distribuendo sedes militibus suis, quos secum duxerat.

XI. In capitolio Jovis gratias agebat, quod per manus ejus rem Romanam bene gessisset, eamque ut servaret, foveret et protegeret rogabat, eique immolabat hostias et spolia dicabat.

Sic Christus in cælo Patri suo, cui et acceptam referebat victoriam suam, necnon Ecclesiam suam commendabat, ascendit siquidem: *Ut appareat vultui Dei pro nobis*, ait apostolus, q. d. velut noster advocatus. Et fortasse dixit id Joan. XVII. *Pater manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi in mundo. Tui erant et mihi eos dedisti et sermonem tuum servarunt, etc.* et: *Pater, quos dedisti mihi, volo ut ubi sum ego, et illi sint mecum, etc.* Joan. XVII.

XII. Epulum publicum inchoabat cum suis, ad quod invitabat primo, senatores, sed postea rogabat ut venire supersederent, ne quis eo die, quo ipse triumphabat, majoris in eodem convivio esset imperii.

Ita Christus suis prædixit, Luc. XXII. *Et ego dispono vobis ut edatis et bibatis super mensam meam in regno Patris mei*. Et hæc illa cæna magna, Luc. XIV. hæc nuptiæ filii regis, Matth. XXII. Ad hoc epulum invitavit omnes homines: superbis tamen, qui ejus fidei et præceptis subijcere se nolunt, dicit uti venire supersedeant; siquidem non deceat, ut aliquis in cælesti convivio major sit ipso. Et hoc ideo, quia et ipsi illi superbuli respondebant in parabola invitatoribus: *Villam emi, juga boum emi, rogo te, habe me excusatum*. Similiter ergo respondebit eis Christus. Quid enim aliud, quod ascensus dixit: *Prædicate evangelium omni creaturæ* (ecce omnes invitantur ad epulum cæleste), *qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur?*

XIII. Pecunias plebi distribuebat. Ita Christus Spiritus s. gratiam et dona, quibus velut pecuniis negotiari possent homines et usuras spirituales facere, sic enim ait ad Eph. IV. *Ascendens*

Christus in altum, dedit dona hominibus, si ergo gratiam illam exerceamus et cum ea bene operemur, cælestia bona ingentia nobis comparabimus. Quemadmodum pauperi nummus datur, ut eo panem emat, sic gratia Spiritus sancti nobis datur ut ea mereamur per bona opera æternam gloriam. Unde Dominus ille servis suis talenta partitus, et peregre, id est, in cælum abiturus dixit: *Negotiamini dum venio*.

Vidimus pompam Christi hodiernam, vidimus triumphum; superest ut nunc triumphanti applaudamus. Dicamus igitur cum Ecclesia in hodierno officio: *O Rex gloriæ, Domine virtutum, qui triumphator hodie super omnes cælos ascendisti, ne derelinquas nos orphanos; sed mitte promissum Patris in nos Spiritum veritatis*.

CONCIO III.

CAUSÆ ASCENSIONIS CHRISTI.

I. Ut fidem nostram auget. — II. Ut firmaret nostram spem. — III. Ut charitatem in nobis erga se accenderet. — IV. Ut in cælo advocatus noster esset. — V. Ut mitteret nobis Spiritum sanctum. — VI. Ascendit sui causa.

THEMA.

Dominus quidem Jesus postquam locutus est eis, assumptus est in cælum. Marci ult.

Dubitare aliquis posset, gaudendumne potius nobis sit hoc die, an dolendum. Dolendum nobis esse videtur, quia Dominus noster hodie quidem ad cælos abiit; Ecclesiam vero suam veluti turtorem, ob ablatum sponsum suum continue gementem, in terris reliquit. Quid putatis sensisse B. V. Mariam, quando vidit a se discedentem Filium, cujus ipsa comes semper individua erat? Quid Mariam Magdalenam, quæ Domini præsentia adeo delectabatur ut nunquam non ad ejus pedes reperiretur? Quid Domini discipulos, qui sine magistro suo semper tristes, timidi et dejecti erant? Certe Marcus evangelista hodiernus hanc Ecclesiæ tristitiam et desolationem voce querula insinuare videtur, dum ait: *Et Dominus quidem Jesus, postquam locutus est eis, assumptus est in cælum, et sedet a dextris Dei*. Videtur inquam illud quidem esse vox mœrentis; quasi dicere vellet: *Abiit quidem Dominus et magister noster in cælum et sedet a dextris Dei*: sed interim nos hic relictos, eoque orbati sumus. Verum (licet Christi dicesset mœstitiam aliquam parere Ecclesiæ suæ potuerit, alia ex parte tamen multo magis eam lætificare debuit; tum quia ipsa sponsum suum vidit mirifice exaltatum et ad dexteram Dei evectum (quæ autem sponsa non gaudeat de exaltatione sui sponsi?) tum etiam ob propriam ma-

tur, ob majestatem judiciariam et quietem) ut indicetur semper paratus esse ad opitulandum, quemadmodum et S. Stephano martyrio decertandi visus, stans a dextris Dei.

V. Ut mitteret nobis Spiritum sanctum, quem et post decem dies misit. Hinc Joan. XIV. dixit: *Nisi ego abiero, Paraclitus non veniet ad vos.* De cuius autem a non ante, sed post ascensionem suam mitteret, ut per eam missionem probaret se in cælo regnare. Si enim nihil inde nobis misisset, dubitaremus forte, num in cælum ascendisset. Jam vero quia Spiritum suum misit, non est dubitandi locus. Ita Joseph probavit patri suo Jacob per fratres, se dominari in Ægypto, dum fratrum jumenta oneravit frumento et pecunia, plaustra quoque cum vario remisit apparatu, plurimisque aliis divitiis ac donis, Gen. LXV. Habemus igitur certissimum argumentum, ut jam nihil supersit dubii, Redemptorem nostrum et sponsum animarum nostrarum esse in cælo, et quidem ut cælo regem; siquidem tam insigne donum sponsæ suæ misit. Itaque, o Christiani: *Joseph frater noster vivit, et ipse dominatur in omni terra Ægypti.* Jacob audiens vivere filium suum: *Quasi de gravi somno evigilans, cum vidisset plaustra et universa quæ miserat ei Joseph, revixit spiritus ejus et ait: Sufficit mihi si adhuc Joseph filius meus vivit, vadam et videbo illum antequam moriar.* Pro illo, *revixit spiritus ejus, Chaldæus vertit quievit Spiritus s. super Jacob.* Ecce typum missionis Spiritus s. Non ergo jam dubitamus de Christi Domini exaltatione; sed unicum id desideramus, ut cum ipso simus. Dicat ergo unusquisque Christi amator: *Vadam et videbo* (Jesum meum) *antequam moriar.*

VI. Denique, sui ipsius causa Christus ascendit in cælum, primo, ut suam legem et doctrinam confirmaret, ac celestem esse ostenderet; siquidem dubium esse non potest eum e cælo descendisse et inde legem attulisse, qui in cælum quoque ascendit. Secundo, ut reipsa doceret, quod coram Pilato contestatus est, regnum suum non esse de hoc mundo, sed de cælo: et quod coram Caïpha dixit se venturum aliquando *in nubibus cæli.* Hoc enim facile jam credere poterant, quando audierunt eum nunc in nubibus cælum conscendisse. Tertio, ut corpori suo in terris humiliato et afflicto justam daret mercedem et gloriam. Locus enim certaminis terra, locus coronæ cælum: quemadmodum duces Romani Romæ triumphabant, sed alibi militabant. Nos itaque auditores tametsi hodierno die perdidimus quidem Christum secundum speciem visibilem; gaudeamus tamen et toto pectore exultemus, tum quia et nostri et sui gratia ad Patrem suum migravit, cui sit honor et gloria.

CONCIO IV.

CIRCUMSTANTIÆ ASCENSIONIS RELIQUÆ.

- I. Unde ascendit: 1. Ex monte. 2. Ex Oliveto. 3. Prope Bethaniam. — II. Quando ascendit: 1. Post quadraginta dies. 2. Feria quinta. 3. Post meridiem. 4. Cur non diutius in terra mansit. — III. Quomodo ascendit: 1. Erecto corpore. 2. Facie ad occidentem versa. 3. Cum nube. 4. Paulatim. 5. Benedicens discipulis. — IV. Quorsum ascendit: 1. Super omnes cælos. 2. Ad dexteram Patris. 3. Ad sessionem.

TIHEMA.

Assumptus est in cælum, et sedet a dextris Dei.
Marc. ult. ult. ult.

Cum quis rem charam ubi perdidit, quomodo et quorsum ea devenere, canes, cum conspectu eorum, impigre discurre, illis insistere et ferre hodie summum bonum licet: si hunc nos amaram quando et quomodo et unde reliquit nobis monti Oliveti ut ea in peremur. Hoc fecisse apostolos, quis potest et nos.

I. Unde ascendit? Respondetur ex monte Oliveti, non procul a Bethaniam ut habetur, Act. 1. Primo igitur, ex monte coram paucis testibus urbe Jerosolymitana rima coram omnibus summa cum ignominia in crucem agi voluit; ut doceret nos contumelias et ignominias etiam publicas libenter amplecti, gloriam vero fugere. Hanc eandem causam gelistæ passionem deificationem ejus spectant, quæ scripserint, quæ gloriam ejus pertinent ascensionem ejus horem Christi, qui se cis manifestare, infirmis omnibus; et quidem quasi diceret illud: *tacemus vitia nostra nostras, et omnibus vero et excellentiam*

Secundo, ex monte Oliveti: ut inde ascendit ad gloriam, unde ait enim apostolus *ascendit, nisi quia et ad patientiam, eadem*

perdit, sæpe de ea cogitat, et quando perdidit, inquit. Videmus etiam in forte leporem perdidit, vestigia ejus perquirere, ram indagare. Perdidimus nostrum, Christum videlicet: si hunc nos amaram quando et quomodo et unde reliquit nobis monti Oliveti ut ea in peremur. Hoc fecisse apostolos, quis potest et nos.

Respondetur ex monte Olivethania ut habetur, Act. 1. monte quodam deserto et ascendit gloriosus, qui in totius Palæstinæ celeberrimis populis, qui tunc aderant, in crucem agi voluit; et ignominias etiam amplecti, gloriam vero fugere. Hanc eandem causam gelistæ passionem deificationem ejus spectant, quæ scripserint, quæ gloriam ejus pertinent ascensionem ejus horem Christi, qui se cis manifestare, infirmis omnibus; et quidem quasi diceret illud: *tacemus vitia nostra nostras, et omnibus vero et excellentiam*

Oliveti: ut inde ascendit ad gloriam, unde ait enim apostolus *ascendit, nisi quia et ad patientiam, eadem*

vult ascendere, debet prius descendere. Hinc est quod dixit Gabriel sessum super solium David; quia sicut David de *post fatantes* et pastoralis munere evectus est ad regiam; sic etiam Christus de passione ad gloriam. In illo monte Christus iacuit primo prostratus et sanguine perfusus, in eodem postea ascendit gloriosus. Vis ergo in altum exsilire? Prius ad terram te deprimito. Secundo, quia in hoc monte sæpe Christus oravit et pernoctavit, ut patet Lucæ, cap. XXI. XXII. XXIII. denonstrans orationis assiduitatem sternere hominibus viam ad cælum. Tertio, ut in conspectu impiæ et Judaicæ Jerusalem, quæ eum depresserat et occiderat, gloriosus ascenderet; itaque abolito Judaismo christianismum sanciret et illustraret. Mons enim Oliveti tantæ altitudinis est, ut ex eo omnes pene plateæ Jerusalem (quin et mare mortuum) conspiciantur. Quarto, quia Olivetum et oleum symbolum est gratiæ et misericordiæ, quam Christus nobis in hoc monte patiens et ascendens impendit. Hinc pariter in hoc loco judex considerabit, cum in fine mundi redibit ut iudicium universale peragat. Hoc enim futurum est in valle Josaphat, quæ subjacet monte Oliveti, et exiguo spatio inter eum et urbem Jerusalem interjacet, ut Judæi infideles et impii qui passionis et ascensionis ejus oleum et mel spreverunt, ibidem sentiant gustentque acetum et fel iræ ipsius et vindictæ.

Tertio, prope Bethaniam. Non frustra commemoratur hoc oppidum, ad quod exivit Dominus in cælum ascendurus. Sonat enim *Bethania* domum obedientiæ, ut indicetur primo, Christum sicut ex obedientia erga Patrem venit in hunc mundum et versatus est in eo, ita et exire voluisse. Secundo, ut sciamus securissime ad cælum tendere, qui in domo obedientiæ, hoc est, in religione sub obedientia vivunt.

II. Quando ascendit? Respondetur quadragésimo die post resurrectionem; qui erat dies Jovis post meridiem. Expectavit per quadraginta dies, ut præberet: *Seipsum vivum in multis argumentis, Act. 1.* Ut ageret cum apostolis de regno Dei, id est, de Ecclesia ejusque institutione, gubernatione, capite, et sacramentis, de Scripturis, etc. Et demum ut charitatem et humilitatem suam vehementius commendaret, dum etiam in statu gloriæ suæ cum hominibus tam frequenter et tam familiariter conversari voluit. Solent apud homines, honores mutare mores, et qui ex humili conditione ad dignitates evecti sunt, despiciere et oblivisci, quos prius familiariter noverant. Sed non ita Christus.

Secundo, feria quinta: illo nimirum die, quo prius ad montem Oliveti sed passurus iverat, ut ostenderet eandem esse viam ad passionem,

et ad gloriam. Item die, quo eucharistiam instituerat, forte ut nobis insinuaret, se a nobis recedere, et nobiscum manere in eucharistia. Unde mox ascendurus dixit: *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi.*

Tertio, post meridiem, (dicitur enim prius cum discipulis comedis, Act. 1.) ut sicut post meridiem ejectus e paradiso est Adam; ita secundus Adam eodem tempore intraret. Secundo, ut manifestior esset ejus ascensio. Tertio, quia etiam in meridie circa horam diei sextam crucifixus fuit; ut quo tempore se humiliavit ad mortem crucis, eodem exaltaretur ad cælum. Quarto, anno ætatis triginta quatuor adhuc currente. Sed cur non diutius in terris mansit? Respondetur primo, intra id tempus perfecisse Dominum totum opus legationis suæ, nil restitisse amplius; adeoque paucis annis explevisse tempora multa. Secundo, quia corpori ejus celesti cælum debebatur, ubi ab angelis et futuris beatis avide expectabatur non terra, ubi parum honorifice habitum, imo a multis contemptu aut probri affectum fuisset. Tertio, ut doceret nos non longam desiderare vitam, sed bene vivendo paucis annis explere tempora multa.

III. Quomodo ascendit? Respondetur primo, statu corporis recto, nullo pedum motu, quia hoc non indignum. Secundo, facie ad occidentem versa, sicut ostendunt vestigia impressa lapidi, teste Adricomio, ut Romam et occidentales populos benediceret. Tertio, nubes suscepit eum ad indicandam divinam ejus majestatem, Dei enim apparitiones fere cum nubibus factæ sunt: partim ob ejus divinam majestatem, cujus insignia sunt nubes; partim quod hic in terris non nisi obscure videri Dei gloria potest.

Quarto, videntibus discipulis et cæteris qui aderant. Paulatim enim ferebatur sursum primo, ut palam esset omnibus nihil hic esse fictionis et illusionis. Postea ubi videri amplius non poterat instanti ascendit; quia jam nulla erat tardandi causa. Secundo, ut cum discipulorum oculis una etiam animos eorum secum veheret in cælum per ardentissimum desiderium habitandi in cælestibus.

Quinto, benedixit illis elevatis manibus, primo, ut ostenderet benedictionem et bona quæ per eam conferuntur, de cælo descendere.

Secundo, ut doceret sine Dei benedictione non succedere nostra negotia; uti nec apostolorum prædicatio quidquam potuisset, nisi Dei benedictio ad eam accessisset. Sic benedixit Deus creaturis suis, ut crescerent et multiplicarentur: quia: *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.* Hinc etiam in fine missæ discessuros ad opera sua benedicit sacerdos. Hæc ergo Dei benedictio in rebus